

archiepiscopo, tuis postulationibus impertimur assensum, [et diocesis,]¹⁾ quae Magdeburgensi ecclesiae iure competit, eidem venerabili loco apostolica auctoritate firmamus, adiicientes etiam, ut diffinitio parochialium finium, quae tempore Heinrici filii imperatoris Heinrici in praesentia tam ecclesiasticorum quam secularium principum inter praedecessorem tuum bonae memoriae Wernherum archiepiscopum et Brunonem Misnensem episcopum rationabiliter facta est, illibata futuris temporibus conservetur, ut videlicet provincia quae Lusize nuncupatur iuxta institutionem eiusdem praedecessoris tui deinceps Misnensi ecclesiae subiaceat, et decima mellis eiusdem provinciae, sicut prius erat solitum, usibus sive stipendiis fratrum Magdeburgensium cedat. Ad utriusque vero ecclesiae firmam pacem atque quietem Magdeburgensis ecclesia suis finibus sit contenta, a lapide scilicet posito ad australem partem cuiusdam Burchstal, quod dicitur Bichin, inde ad Wisennasfot, inde ad aquam quae vocatur Circuisinci, inde ad Albiam fluvium, et sic protenditur usque Magdeburg. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat super his omnibus Magdeburgensem ecclesiam infestare aut ei quicquam temere subtrahere, sed omnia successoribus integra conserventur, tam ipsorum quam fratrum usibus profutura. Si quis ergo in posterum huius nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus si non congrue fatifecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri redemptoris Jhesu Christi alienus fiat et in extremo examine districtae ultioni subiaceat, conservantes autem intervenientibus beatorum apostolorum Petri et Pauli meritis a remuneratore omnium bonorum domino aeternae vitae praemia consequantur, amen.

Ego Innocentius catholicae ecclesiae episcopus.

Ego Brogo Hostiensis episcopus.

Ego Gerhardus presbyter cardinalis tit. sanctae crucis in Jherusalem.

Ego Lucas presbyter cardinalis tit. sanctorum Johannis et Pauli.

Ego Martinus presbyter cardinalis tit. sancti Stephani.

Ego [Guido] diaconus cardinalis sancti Adriani.

Data in territorio Romano per manum Aimerici sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis et cancellarii VI. Non. Octobr. indictione prima incarnationis dominicae anno M^o. C^o. XXX^o. VII^o.²⁾ pontificatus vero domini Innocentii papae II. anno VIII^o.

Nach dem Copiar. LVII. fol. 279 (15. Jahrh.) im Prov.-Archiv zu Magdeburg.

v. Dreyhaupt Beschreib. d. Saal-Creyes I. 30. — Sagittarius hist. duc. Magd. in Boysen allg. hist. Magazin II. S. 41.

1) Die Worte *et dioc.* fehlen im Copiar; Dreyh. u. Sag.: *ut dioc.* 2) VIII^o. Cop., Dr. u. Sag.; dass aber VII^o zu lesen sei, ist zweifellos. Vgl. auch Jaffé reg. pont. p. 580. n. 5604.

No. 47. 1140. 27. Febr.

P. Innocenz II. bestätigt der Stiftskirche alle Rechte und Besitzungen, namentlich die Erwerbung von fünf Dörfern in der Provinz Nisanen durch Schenkung eines slawischen Edlen Namens Bor. (Vgl. No. 32.)

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabili fratri Godebaldo Misnensi episcopo eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Caritatis bonum est proprium, aliorum tamquam suis gaudere proventibus. Officii siquidem nostri nos